



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Methodus præparationis ad audiendas Confessiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

creatarum rerum funditus extirpandum, voluntatem suam cum diuina conformandam exstimulabat: oblati chartis aut libellis vernaculo vel Latino sermone vulgatis, quibus istiusmodi virtutum actus continebantur. Pendebant verò ab ore Pastoris ouiculæ, vt nutum eiusdem sequerentur: vnde ingense eorum apud morientem & in funere comploratio gemitusque, quibus orbitatem suam deflebant. Sic inducta in Parochiam paulatim octauo quoque die sacræ Communionis frequentatio, pietas fidelium aucta, concursus ad templum maximus & reuerentia cultûs diuini maior introducta.

Subiungo praxim, qua vtebatur in Sacramento Pœnitentiæ administrando.

*METHODVS PRÆPARATIONIS  
ad audiendas Confessiones.*

I. **M**agni refert Confessarium debite estimare munus suum, ideoq; magno animo & zelo, muneri suo operam dare. Vt verò de illius dignitate, vti par est, altè sentias, expendes:

1. Sacerdotem audientem & recipientem peccatores, esse Vicarium Christi  
Sal-

Saluatoris, eiusq; vices & munus gerere, dum poenitentes absoluit, gratiæ & cœlestis regni hæreditati per ministerium suum restituit. Vnde & Deus sententiam suam, quodammodo ad sententiam Sacerdotis restringit. 2. Licere tibi in Sacrosanctum illum Thesaurum, & fontem Sanguinis Domini manus immergere, vt eo sordidas noxiorum animas abluas & exornes. 3. Quam nobilis sit anima illius, quem ante te vides prostratum, non solum naturâ suâ, quia est ad imaginem & similitudinem Dei condita, verum etiam precij infiniti excellentiâ, quia Sanguine Christi redempta est. 4. Te vt Confessarium, proximè ad salutem animarum operam tuam conferre: colligis enim quodammodo fructus, & metis sementem Concionatorum. 5. Delectum te esse à Deo Confessarium, vt ex Diaboli seruitute in libertatem Filiorum Dei vindices Homines peccatis obnoxios, quod S. Augustinus maius dicit opus, quàm vniuersum Mundum creare. 6. Maius esse gaudium in Cœlo de vno qui ex peccatis respiscit, quàm de nonaginta iustis, qui non indigent poenitentiâ. Quare vt eius  
gau-

gaudij Ministrum & Auctorem, ex parte Muneris & Officij tui, te esse perpende.

II. Mens tua, in hoc munere, rectè ferri ad Deum debet, vt nil in hoc opere, nisi Diuinam gloriam & salutem proximorum spectes, non tuum commodum, non voluptatem, quam capias ex confidentiũ dignitate, numero, curiositate, &c.

III. Magnoperè decet, antequam aggrediaris tam arduum opus, præparare animum aliqua breui precatone vel cogitatione, de eius negotij præstantia, quod aggredieris: Es enim agrotis animis Medicinam, cæcis lumen præbiturus, oppressos graui onere, errantem ouiculam ad Christi ouile reuocaturus. Confugito insuper ad opem alicuius Sancti, Patroni, & Angeli Custodis, tui & illius qui confitetur, simul offerens pro tua & confitentis salute, Patri æterno, opera, labores, merita, Vulnera & Sanguinem Christi.

IV. Necessè est, vt, antequam ad sedem tuam accedas, animum tuum diligenter præpares & munias, præsertim ad patientiam: Est enim difficile hoc negotium, tum propter foeda peccata, quæ audiuntur,

tur,

tur, tum propter intricatos casus, qui in-  
cidunt, tum propter diuersa hominum  
ingenia, difficilia & morosa, cum quibus  
agendum, tum quia multi non satis para-  
ti, ad Confessionem accedunt. Ad omnia  
ergo, prius confirmandus est animus tu-  
us insigni longanimitate, vt dicere possis:  
*Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.*

V. Magnam etiam curam cauero, ne, dum  
alios purgas, ipse sceleris. Imitare ergo  
medicos; Hi, dum visunt aegrotos, ne  
contagione laedantur, ferunt odores, aliaque  
contra luenam amuleta: Sic te aliquid  
ad manum habere oportet, quo te a foeda  
ac periculosa vitiorum contagione incolu-  
mem serues.

VI. Tametsi Ius absoluendi a peccatis  
ex parte Sacerdotis, non ex eius bonitate,  
vel improbitate, pendeat: Vis tamen ma-  
xima est, in eius sanctimonia & coniu-  
ctione cum Diuina voluntate, ad indu-  
cendum aliquem ad veram poenitentiam  
peccatorum & promouendum in virtute:  
Pater enim vt plurimum sibi similes filios  
gignit, qui verò sibi nequam, cui bonus?  
Hoc tibi quoque dictum puta.

VII.

VII. Præter scientiam, magna uti oportebit dexteritate. Cùm enim sis Pater quidam Spiritualis, Medicus & Iudex, in Patris officio cauendum, ne vel indulgentior sis, vel seuerior, quàm res postulat; ne quem consolari debes, acerbitate verborum affligas. In officio Medici, ne præbeas medicamenta minùs accommodata, ad morbi & ægroti naturam, quibus malum non sanatur, sed potiùs augetur. Denique, in Iudicis officio, ne condemnes absolueudos, absoluas condemnandos, sed æquam, rectam & tempestiuam sententiam feras.

VIII. Audiens grauià peccata, exemplo Christi, pœnitentis miserearis; sis Samaritanus, faucij curam suscipiens, & duos in te affectus excita. 1. Humilitatis, ut sentias te omnium peccatorum pessimum, in grauiora peccata ruiturum fuisse, nisi Diuina manus te tenuisset. 2. Timoris, ne dum aliorum sordes abluis, ipse conspurceris. Antequam igitur aurem præbeas confitentibus, doleas de tuis peccatis, ut nullum Spiritui Sancto obijcias impedimentum.

IX. Spem magnam concipias de auxilio  
Di-

Diuino tibi minimè defuturo in hoc munere, quod à Deo impositum est, & Dei causa exercetur. Lucem itaq; & auxilium à Deo efflagita, vt iuuare proximum possis.

X. Non solùm à peccatis hominem libera, sed magis magisq; prouehere ad sanctitatem, suoq; in statu vnumquemque proficere contende. Ideoq; considera cuiusque ingenium. Hinc vias & modos excogita, quibus faciliùs iuuari possit.

XI. In habitu exteriori sis grauis, non tamen asper, sed benignitatem Paternam præ te feras, qua homines alliciantur, sibiq; persuadeant, nihil te præter salutem ipsorum spectare. Vnde fiet, vt ameris vt Pater, & honoreris vt Christi Vicarius, & Christi persona in te spectetur.

XII. Opere absoluto, Deo gratias age, quòd te dignum tam nobili ministerio fecerit. Deinde, quod à te factum, commendabis Domino Deo, vt quæ tuo ministerio sparsa sunt semina, ea pro sua pietate, Christi Sanguine foueat, & ad frugem perducatur, vtq; absolutos à recidiua custodiat, & perseverantiæ dono firmatos ad vitam æternam perducatur, Amen.

Ora-